

tellecta locutione, ædificari illorum devotio videbatur, et verborum ejus magis septire virtutem: cuius rei certa probatio tunsio pectorum ferat, et effusio lacrymarum. » Mirum itaque non est, frequentissimo ac constipatissimo concursu ad sanctum hunc oratorem fuisse viam ab auditoribus affectatam: de qua re vide inter miracula cap. 1, occasione miraculorum, quæ facta sunt Constantiæ, et e quibus etiam nonnulla consignat Trithemius in Chronico Hirsaugiensis ad annum 1147.

417. Miram vero atque insignem Alexandri Coloniensis conversionem, Basileæ a viro sancto impetratam, ita exponit auctor Annalium Cisterciensium eodem cap. 9, numer. 11 et 12, quam et nos hoc loco desiderari non patimur. « Hunc, ait, cum Romam proficisceretur, Bernardo obviam factum superius vidimus; quin et videntem divinæ virtutis opera, sive magis expertum in se ipso, quod statim dicam, tandem dedisse manus sancti monitis, et se itineris socium adjanxisse, monachum induiturum in Claravalle. Verum quo loco, et quo ordine hæc acciderint, aliunde nobis venit excipiendum. Et locum quidem habemus ex Godefrido sancti Patris notario, qui virum ad Basileam conversum tradit, quippe sancto egrediente prædictam urbem, meminit Alexandri, et statim subdit: Iste est Alexander, qui in eisdem diebus ad viri Dei sacra monita, ostensionemque virtutum... secutus est eum, » ex lib. IV Vitæ S. Bernardi, cap. 6, numer. 241, de quo etiam lib. IV Vitæ seu miraculorum parte I, cap. 1, numer. 283. At qualis ille fuerit, et quo modo, ac ordine conversus, edocet Exordium magnum Ordinis Cisterciensis apud Tissierium distinctione 1, cap. 25: « Apud Coloniæ Agrippinam, quæ est insignis metropolis Germaniæ, fuit magister quidam, Alexander nomine, canonicus (S. Mariæ ad Gradus, ubi habet notula marginalis) doctorque famosissimus in eadem urbe.

418. « Accidit autem, ut Dei famulus beatus Bernardus Clarævallensis abbas, jubente sancto papa Eugenio Germaniam ingrederetur. Jerosolymitanum iter Conrado imperatori et populo terræ prædicaturus. Cumque ibidem signis et virtutibus innumeris coruscaret, videns imperator mirabilia, magna, quæ Dominus per eum ostendebat, compunctus corde, crucis signum de manu ejus accepit, Jerosolymam profecturus. Nec distulit hoc idem facere innumera hominum multitudo: ita ut incredibili fidei ardore succensi, scissuras et fimbrias de vestimentis famuli Dei, quæ propter hoc ipsum nova frequenter accipere cogebatur, undique certatim diriperent, seque infelices arbitrarentur, quicumque de indumentis ejus cruces habere non mererentur. Multi quoque ex eis nobiles ac sapientes viri, per manum illius sese Domino reddiderunt, qui in Claramvallem ab eo deducti et monachi facti, maximum deinceps in Ecclesia Dei fructum attulerunt.

419. « Ex quibus etiam exstitit unus supra me-

moratus vir nobilis Alexander, qui eo tempore juvenis et sæcularis scientiæ typho turgens, divitiarum quoque et transitorii honoris infulis adornatus, nihil minus quam conversionem cogitabat: sed Deus, qui comprehendit sapientes in astutia sua, mirabili hoc ordine, sicut sequentia declarabunt, adimplevit. Cum enim beatissimus Pater Bernardus ipsum de conversione monuisset, ille sæculari scientia vel opulentia tumens respondit, se ad præsens nil minus cogitare, vel velle quam habitum sumere monachalem. Eadem igitur nocte cum membra sopori dedisset, apparuit ei in visione idem homo Dei, erigens eum de grabato, in quo graviter languere videbatur, ac restituens sanitati. Deinde tulit habitum suum quo erat ipse indutus, et ex eo contextit Alexandrum. Qui cum eundem habitum semel et secundo rejectum ab humeris indignanti animo repulisset, tertia tandem vice collo ejus injectum et corpori valenter astrictum compulsus est retinere. Deinde Pater sanctus baculum, quem manu tenebat, ipsius manui tradens, futuræ prælationis gratiam denotavit, et ita abire præcepit.

420. « Evigilans autem Alexander nihil adhuc pro hujusmodi revelatione mollescere poterat, sed in eadem animi duritia persistebat. Eodem vero die cum ille beatissimus abbas ad mensam recumberet, oblatum est ei piscis, qui perca nominatur, ut ex eo reficeret. Quo viso, vir Domini erectis in cælum oculis, super eundem piscem diutius oravit, et benedicens illum, præfato Alexandro pro pitantia transmisit. Quem dum ille gustare inciperet, ad primum illico morsum meruit in semetipso feliciter experiri, quantæ virtutis esset oratio famuli Dei; nam repente mutatus in alterum virum, compunctus est valde, et cœpit ubertim super eundem piscem lacrymas fundere. Mirabatur vero seipsum, nesciens, quid haberet, vel cur fieret. Tandem recordatus visionis, quam nocte præterita viderat intellexit a Domino gratuita ejus miseratione se esse præventum. Unde supernæ vocationi ex intimo corde gratias agens, beato Dei famulo in continentem se reddidit. A quo benigne susceptus, et in Claravalle monachus factus, et deinceps Grandissilvæ pastor effectus, adeo in sanctitate vitæ profecit, ut postmodum fieret Cisterciensis abbas cœnobii (nonus, » uti habet notula marginalis) « ac totius Ordinis pater universalis. Hæc nos, sicut ab eodem Dei famulo Alexandro audivimus, fideli relatione deprompsimus. » Mabillonius Vitæ S. Bernardi libro VII, qui excerptus est e mrgno Cisterciensi Exordio, ad hunc locum totius Ordinis pater universalis, observat ista col. 1209: « Insignis hic locus ad illustrandam dignitatem abbatis Cisterciensis: de quo vide epistolam 4, numer. 3, et epistolam 5, numer. 4... Idem abbas ordinis Pater universalis item ab Herberto appellatur infra num. 17. » Cæterum mirabilis illa Alexandri conversio, unus denuo est e fructibus ante excursionem Germanicam a Bernardo non quæsitus, sed in eadem ultro ipsi oblatum. Dica-

nunc, quam potenter rem gesserit vir sanctus, a Conrado induceret ad bellum sacrum.

§ XL. *Conradus imperator militiæ sacræ adscriptus; excursions S. Bernardi per Germaniam; reditus in Galliam; miracula; conventus Stampensis; infelix Orientalis expeditionis eventus perperam sancto imputatus.*

421. Nihil minus cogitabat Conradus, ut memorant Annales Cistercienses cap. 10, quam crucem sumere, et deserto imperio occidentali ad remotas orientis plagas arma convertere; maxime cum Germania flagraret bellis civilibus, quibusdam principum divisim inter se, et, nisi ejus præsentia continerentur, forsitan ab imperio dividendis. Indixerat tamen generalem curiam Spiræ, cui Bernardus adesset, in die natali Christi congregandam. » Factum videatur in libro VI Vitæ, qui est de miraculis, parte I, cap. 2, ubi præterea invenies felicem a sancto præcone intenti finis successum, Conrado, ac nepote ejus Friderico juniore, nec non innumeris principibus cruce signatis; adde miracula ibidem relata. Nec vero frustratus est Bernardus opera sua dum discordes Germaniæ principes in gratiam reduxit, rem testante Ottone Frisingensi lib. I De gestis Friderici, cap. 42, cujus verba id non obscure videntur innuere. Sunt autem ista: « Igitur non solum ex Romano imperio, sed etiam ex vicinis regnis, id est occidentali Francia, Anglia, Pannonia, innumeris populis ac nationibus hac expeditionis fama ad sumendam crucem commotis, repente sic totus pene occidens siluit, ut non solum bella movere, sed et arma quempiam in publico portare nefas haberetur. »

422. Illud vero, quod perhibetur inter miracula Spiræ facta, parte I, cap. 2, num. 302. « Ubi... egressi fuimus, et rex ipse cum principibus sanctum Domini deducebat, ne comprimerent eum turbæ, etc.; illud, inquam, magis clare at pathetice exprimit S. Antoninus parte II Historiarum, titulo 17, cap. I, § 6, ita de Bernardo loquens: « Apud urbem Spirensium tantus erat concursus, ut Conradus rex seu imperator, ne populus eum comprimeret, deposita chlamyde eum in proprias ulnas suscipiens de basilica asportaret. » Annales Cistercienses paulo ante assignati memorant, num. 6 iconem Mariæ Virginis ter a sancto Patre salutatam Spiræ semel eidem salutem reddidisse, cunctis audientibus. Et deinde numer. 8 sermo est de lacte ejusdem Virginis, quo irroratus fuerit, nec non de salute ei dicta a beatissima Deipara in celebri monasterio Afflighemensi; quod factum differt in annum sequentem. Verum hæc inferius discutimus. Nunc alia nos vocant, quæ vir sanctus Spira discedens, atque alia Germaniæ loca peragrans, patrauit.

423. Annalium Cisterciensium concinnator ad annum 1147, cap. 2, num. 1 et 2. « Soluta, ait, curia, et salutato Conrado imperatore, ac Constantiensi episcopo, quem socium viæ, seu potius deductorem hactenus habuisset, Pater sanctus Spira discessu-

rus Campensem sui Ordinis abbatem secum assumit, et reliquas totius, « quod accommode intelligendum, » Germaniæ urbes velociter peragrans, atque illustrans miraculis, verbum crucis adversus crucis hostes concionabatur... Verum quas urbes, et quo tempore discurrerit, ex ipsis, quos secum adduxit, viæ sociis, qui cunctis interfuerunt, accipiat lector; » quem nos mittimus ad librum VI Vitæ, seu de miraculis, parte II, cap. 3, ubi de soluta curia Spirensi, transitu sancti per civitatem Wormaltensem, ac miraculis. Inde Confluentiam, ac Coloniæ viator sanctus se contulit, signis de more eum comitantibus, prout mox citato capite licet videre. Quid referam alia, quæ Colonia profectus edidit Aquisgrani, Trajecti ad Mosam, Leodii, Gemblaci, Villarii, Cameraci, aliisque in locis, ne ipsa quidem Hispania inde exclusa, quamvis ibidem non esset, imo nunquam ibi fuerit, sicut postea pluribus probabitur. At de innumeris sancti prodigiis exstant luculentissima scriptorum testimonia; de quibus inferius dabitur tractandi locus. Diceres, Deum optimum, maximum, qui facit mirabilia magna solus, tantas ex infinito omnipotentis suæ thesauro cum incomparabili suo thaumaturgo communicasse divitias miraculorum, ut nec numero, nec locis, nec temporibus, nec personis circumscribere ea voluisse videatur, tunc præsertim quando occidentis populos ad sacra bella ciebat vir magnus.

424. « Dum hæc per sanctum Patrem agerentur, ait Manricus, cap. 4, Conradus, qui vexillum belli sacri ab ejus manu Spiræ ante susceperat, expediturus quæcumque necessaria, conventum generalem indicit in Bajoaria, intrante mense Februario celebrandum. Huic quia Bernardus assistere non potuit, venerabilem Adamum, Ebracensem abbatem, cujus supra meminimus, substituit, litterisque tum apostolicis tum propriis munitum voluit, per quas subdelegati officio (nam id etiam concessum) perfungeretur. » Porro quæ ibidem acta sint, describit Otto Frisingensis, qui eisdem adfuit, lib. I De gestis Friderici, cap. 40, rem illigans mensi Februario, et inter alia: « Accepere, ait, eadem hora crucem tres episcopi, videlicet Henricus Ratisponensis, Otto Frisingensis, Reginbertus Pataviensis, » alique viri illustres, de quibus ibidem fit mentio. Quidnam interea temporis S. Bernardus? Audiamus Gaufridum lib. VI Vitæ, seu parte III Miraculorum, cap. 6.

425. « Dominica die festum erat Purificationis beate Mariæ; et Francorum rex Ludovicus... Catalaunum occurrebat viro Dei. Plurimi quoque ex principibus utriusque regni convenerant... ut de via Jerosolymitana communi consilio tractaretur. » Idem auctor plurima deinde recenset miracula, quæ in itinere Claramvallem versus ab ipso facta sunt, quæ alibi a nobis dabuntur. Porro historie belli sacri ratio requirit ut silentio non prætereamus acta conventus Stampensis, in quo postrema Jerosolymitanæ profectiois capta consilia, Domi-

nica Septuagesimæ, anno, in quo versamur, 1147. De hoc itaque conventu seu colloquio a pag. 13 ita scribit Odo de Diogilo supra laudatus: « Omnes igitur ad *Circumdederunt me* Stampas vocat (Ludovicus rex) ut pariter eligerent, quod pariter tolerarent: qui sicut fuerunt in veniendo alacres, sic utinam essent in electione prudentes! Congregata enim loco et termino episcoporum et nobilium multitudine tam gloriosa quam magna, prædictus etiam abbas (Bernardus) et prædicandus præsentiam suam obtulit, et rumorem attulit, et utroque lætitudinem reddidit concionem. Nam de Alemannia veniebat, regemque et regni proceres militiæ crucis Christi adjunxerat. Deinde diversarum nationum leguntur litteræ, nuntii audiuntur, et hæc usque ad vespere protenduntur. In his duxerunt lætam diem, et quod superfuit, in crastinum distulerunt.

426. « Venit dies magis læta quam prospera. Interfere congregatis, qui Græcos dicerent, sicut lectione et experientia noverant, fraudulentos. Rex autem et sui, qui merito nullarum gentium vires timebant, fraudes utinam timuissent! Sed quia non est consilium, nec prudentia contra Deum, elegerunt viam per Græciam morituri. Sic secunda dies terminata est, non secunda. Tunc viri nobiles, regis Rogerii nuntii confusi abeunt, dolentium habitu domini sui satis expresse monstrantes affectum: de dolis Græcorum prædicantes nobis, quod postea sumus experti. Nec mirum, si Rogerius rex potens et sapiens regem optabat, si Francos diligit, nostrarum partium oriundus. Postremo revolvit diem tertiam gratia Trinitatis, et congregati, gratia prius sancti Spiritus invocata (quam pridie utinam similiter invocassent!), deinde a sancto abbate sermone habito spiritali, de regni custodia prosequuntur... Inter hæc indicitur dies in Pentecosten profecturis. » Plura ibidem.

427. Nec vero Pater sanctus reliquit Stampas miraculis vacuas: inde item profectus, prodigiorum splendore ac multitudine iter suum, quo Claramvallem repetebat, egregie illustravit; quam dum ingrederetur, puerum surdum ac mutum sanavit. Referuntur ea accurate in libro vi Vitæ, seu Miraculorum parte III, unde etiam nos postea lectori illa legenda exhibebimus. Idem præmonemus de aliis bene multis, quæ Treviris, Metis, Tulli, Rutilæ acciderunt, et quorum ratio habebitur inferius. Addi interim his possunt ea, quæ Arnoldus Raissius in Auctario ad Natales sanctorum Belgii Joannis Molani ad diem 20 Augusti adnotavit: « In Lutzenburgensi ducatu adiit etiam aliquando monasterium Clarifontis, quod a monialibus Ordinibus ipsius sancti Bernardi hodierna die ineolitur: visiturque in eo fons, qui etiamnum hodie a S. Bernardo, qui eidem bene precatus est, Fontis S. Bernardi nomen retinet; et cum fide ac devotione epotus, contra morbos opitulationi esse creditur. In ejusdem ducatus confinibus situm pagum vocabulo Rutilam pertransiit, ubi e patrum traditione posterius commemorat eundem

sanctum Bernardum eodem tempore quasi exultantem in hæc prophetica verba erupisse: O Rutila, Rutila, tu rutilabis aliquando; quæ virum Dei de Carthusianis in istum locum post annos fere trecentos introduceendis, ac ibidem modo adhuc habitantibus prædixisse, nullus inficias ibit, qui ipsius ardentissimum affectum erga Carthusianos voluerit considerare. » Hæc ibi; vellem apud antiquiores. Quibus adjungi potest vaticinium de cœnobio Bellopratensi, quod citatus narrat Raissius; de cœnobio Almensis reformatione agit Manricus ad annum 1147, cap. 3, in fine; de Gemblacensi ac Villariensi monasterio dicam § 47. De Villariensi Monasterio vide pag. 343; de Gemblacensi 342, 344, 393.

428. Sed antequam nos reliqua prosequamur, quæ ad expeditionem Orientis pertinent, prodigiis prope infinitis, quibus incomparabilis noster thaumaturgus apostolicis peregrinationibus suæ Alemanniæ labores illustravit, accenseamus unum primæ notæ. Chronicon Claravallense ab anno Christi 1147 usque ad annum 1199 perductum, auctore anonymo Claravallensi monacho, ex veteri codice ejusdem monasterii edidit Chiffletius in S. Bernardi genere illustri asserto pag. 81, et sequentibus; chronicon autem illud sic incipit: « Anno Domini 1137 beatus Bernardus abbas Claravallis in Alemannia crucem prædicavit: virtutes multas et magnas fecit: inter quas et mortuum illum resuscitavit, de quo habetur in libro Miraculorum domni Herberti. » Jam vero ne plus quam sat est immoremur militiæ sacræ rebus, quæ sunt extra Bernardum, congerendis; de discessu Conradi ac Ludovici in Orientem scribit Otto Frisingensis toties ante citatus, lib. 1, cap. 44, de eorum adventu cap. 58, de reditu Conradi cap. 59, de infelici sacræ expeditionis eventu cap. 60. Quid referam Odonem de Diogilo, quid Baronium, quid Pagium, aliosque?

429. Porro de lamentabili hac tragoedia, quam submisso silentio mirari ac venerari debemus, scrutari autem non possumus, nedum comprehendere, illud Apostoli effatum ad Romanos cap. II repetamus: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Adde illud yatis regii: *Judicia tua, abyssus multa.* Illud item: *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.* Quid post hæc S. Bernardus tot tantisque curis, peregrinationibus, laboribus ac miraculis de sacra illa expeditione immortaliter meritis? Quid inter obloquia, quibus impetebatur vir integerrimus, non secus ac si ipsemet fuisset in causa hujus funestissimæ ac deploratissimæ catastrophæ? Quis illi inter hæc animus, quis sensus? Anne a vero ablutere cuiquam videbimus, si dicamus, toto, quantus erat, Bernardo opus fuisse, ut bolum tam durum decoqueret? Sed vir ubique maximus, et tam in rebus adversis, quam in prosperis sua se virtute susten-

tans, animam possedit in patientia, et post casum undequaque acerbissimam, sive Christiani orbis bonum, sive tot animarum salutem, sive divinæ gloriæ amplificationem, si aliter Domino visum fuisset, sive calumnias sancto Patri impactas consideres, sive omnia denique, quæ extra ipsum erant, in magno tamen ipse mentis heroicæ culmine apud se stabat erectus, ita ut more consueto nullibi desiderari pateretur operam suam, quando videbat negotiis publicis utilem illam esse posse. Etenim Manricus ad hunc ipsum annum 1149 quo Ludovicus VII Francorum rex, et Conradus imperator redierunt ex infelici expeditione Hierosolymitana; S. Bernardum exhibet bonis operibus intentum; prout ibidem legi potest. Vide quæ postea dicemus § 48 sub finem; item § 49 ad § 50. Ad annum autem 1150, cap. 1, profert justissimam ejus apologiam ex lib. II De consideratione, ad Eugenium papam. In memoriam revoca quæ superius a nobis præmissa sunt § 36, ubi ipsemet Otto Frisingensis episcopus, Bernardo alioquin non admodum favore solitus, virum Dei excusat et peccata Christianorum inexcusat. Quibus ad majorem rei confirmationem, ex Chronico Gaufridi cœnobitæ monasterii S. Martialis Lemovicensis, ac deinde prioris Vosiensis in eadem diocesi cœnobii, qui eodem sæculo floruit, addi possunt ista apud Labbeum tom. II Novæ bibliothecæ manuscriptorum librorum, ubi laudatus chronologus cap. 32, hæc scribit de exercitu Christianorum: « Exercitus ille nihil omnino proficit, quia indisciplinate habuerunt: quapropter multis defecerunt, innumerabilesque perierunt propter iniquitatem suam: thesauros ecclesiarum, falsa promittentes vadimonia, ante iter auferebant: infimam plebem diris exactionibus affligebant, pompaticè secuti sunt et superbi humilem Christum, et erraverunt frustra a justo humillimo. » Hæc ille.

§ XLI. *Sancti doctoris concertatio cum Gilberto Perrethano.*

430. Quemadmodum perversa Abelardi dogmata, per S. Bernardum repressa, sic errores Gilberti Porretani, episcopi Pictaviensis, ab eodem viro sancto debellati, magnam ipsi indiviam conflarunt. Facta hujus negotii gravissimi, in quo tanta cum laude versatus est sanctus doctor, referuntur a Manrico ad annum Christi 1146, 1147 et 1148, ad illos ergo redeamus, ac explanemus locum, quem de hac re notatum reliquit Gaufridus lib. III Vitæ S. Bernardi, cap. 2, num. 166. « Fuit, inquit, Gillebertus, quem cognominavere Porretanum, Pictavorum episcopus, in sacris litteris plurimum exercitatus, sed sublimiora se etiam ipse scrutatus ad insipientiam sibi. » Erat hic ex eadem civitate oriundus, sicut affirmat Otto Frisingensis in Friderico lib. 1, cap. 46 editionis supra citatæ, et ex discipulo magister, ex magistro tandem ibidem episcopus evasit. « Ab adolescentia magnorum virorum disciplinæ se subiciens, magisque illorum ponderi, quam suo credens ingenio; qualis primo fuit Hilarius Pictaviensis, post

A Bernardus Carnotensis, ad ultimum Anselmus et Radulphus Laudunenses, germani fratres, non levem ab eis, sed gravem doctrinam hauserat, manu non subito ferulæ subducta, a scientiâ haud censura morum, vitæque gravitate discordante, non jocis vel ludicris, sed seriis rebus mentem applicarat. Hinc erat, ut tam gestu, quam voce pondus servans, sicut in factis, sic in dictis se ostenderet difficilem, ut nunquam puerilibus, vix autem eruditus et exercitatus, quæ ab eo dicebantur, paterent animis, » teste eodem Ottone cap. 50.

431. Mabillonius in præfatione generali ad novam suam Operum S. Bernardi editionem § 5, num. 58: « Hilarius hunc, ait, non alium esse existimo ab illo magno Hilario Pictaviensi episcopo, cujus auctoritate Gilbertus abutebatur, teste Gaufrido. Bernardus Carnotensis non aliunde, quam ex Otonis testimonio mihi notus. Radulphus Laudunensis ex Guiberto et Hermanno Laudunensi monacho, et ex Gaufrido S. Bernardi notario notissimus (Vide hic tomum VI, col. 1338, » id est, Gaufridi libellum adversus Gilbertum Porretanum sub finem) « uti et Anselmus ejus frater, Laudunensis Ecclesiæ decanus. Commentarios in psalmos, et in Pauli epistolas, atque in Boetium dum condit Gilbertus, nonnulla secus, quam licebat, de divinitate, aliisque religionis capitibus philosophatur. » De ejus autem erroribus sic memorat Otto eodem capite 50. « Erant inter cætera, quæ illi objiciebantur de divina majestate quatuor capitula: Quod videlicet assereret, divinam essentiam non esse Deum. Quod proprietates personarum non essent ipsæ personæ. Quod theologica personæ in nulla prædicarentur propositione. Quod divina natura non esset incarnata. Et præter hæc, alia minora » capitula jactabat, « id est: Quod meritum humanum attenuando nullum mereri diceret præter Christum. Quod Ecclesiæ sacramenta evacuando, diceret nullum baptizari, nisi salvandum; et cætera in hunc modum. » Adis libellum Gaufridi.

432. Errores item suos disseminavit, infectum blasphemis toxicum aliis propinans. Etenim, referente Gaufrido in libro III Vitæ S. Bernardi, cap. 2, num. 166, « discipulis suis panes proponebat absconditos, furtivas propinabat aquas, nec facile quid saperet, imo quantum desperet, personis authenticis fatebatur. » Orthodoxis vero id cordi fuit, ut veneno ejus opponerent antidotum. Facta describit Mabillonius a num. 59, his verbis: « Cum vero in frequenti suorum clericorum conventu sermonem habuisset episcopus, eosdemque errores disseminasset, duo ejus archidiaconi, Arnaldus et Calo, rem ad Eugenium III, tunc ad Gallias venientem, apud Senas in Tuscia deferunt. Pontifex causæ examen in Gallias remittit. Archidiaconi interim Bernardum in partes suas pertrahunt. Examen factum Autisiodori et Parisiis, judicium prolatum in concilio Remensi anni 1148. Quid in singulis conventibus actum sit, paucis Otto commemorat, pluribus

Gaufridus Bernardi notarius, qui et opusculum de rebus in concilio Remensi hac de re gestis, et post annos inde quadraginta epistolam scripsit ad Henricum cardinalem episcopum Albanensem. Utramque scriptionem hic habes in fine tomi VI.

433. « De conventu Autissiodorensi, qui ab uno memoratur Ottone, nihil singulare comperimus; sed contra non pauca de Parisiensi. Habitum fuisse in solemnitate Paschali tradit Gaufridus, ac proinde anno 1147, quandoquidem concilium Remense mediana quadragesima anni sequentis fuit celebratum, ex Ottone, et quidem xi Kal. Aprilis, ex Appendice ad Sigebertum. Itaque coram pontifice apud Parisios, coram cardinalibus, episcopis, aliisque venerabilibus et eruditis viris sistitur Gilbertus, de his capitulis responsurus. Id actum per aliquot dies. Producentur contra eum duo magistri, Adam de Parvoponte, vir subtilis et Parisiensis Ecclesie canonicus recenter factus, et Hugo de Campo Florido, cancellarius regis, sancte affirmantes, se aliqua eorum ex proprio ejus ore audisse. Interim dum hinc inde multa sibi objicerentur, inter cætera dixisse traditur: *Confiteor Patrem alio esse Patrem, alio Deum; nec tamen esse hoc, et hoc.* Dictum indigne tulit Joslenus Suessionensis episcopus. Hæc prima die contigerunt. Alia die accusatus, quod in prosa de Trinitate tres personas tria singularia vocasset, Rothomagensis archiepiscopus (Hugo tertius is erat) causam aggravavit, dicens Deum potius debere dici unum singulare. Ita fere Otto episcopus Frisingensis de conventu Parisiensi.

434. « Paulo aliter Gaufridus de eo agit, cui synodum Viterbiensem in eadem causa habitam præmittit. Gilberti ad pontificem delatorem unum memorat archidiaconum Arnaldum, cui cognomen tribuit *Qui non ridet*. In conventu vero Parisiensi unum Gilberto adversarium opponit Bernardum cui omne negotium Christi, ubicunque eum contigisset adesse, tanquam omnino proprium, protinus incumbere. « Requisite episcopus, ut suam ipsius in Boetium expositionem, in qua suspecta continebantur capitula, proferret: ad manus se non habere respondit. Negabat autem episcopus docuisse vel credidisse aliquando se, vel literis commendasse, quod divinitas non esset Deus, etc. Huc testes producebat e discipulis suis potissimum duos; Rotoldum scilicet, Ebroicensem episcopum, postea Rothomagensem, et magistrum Ivonem Carnotensem, alium sine dubio ab illustri illo Ivone episcopo Carnotensi. Existimo hunc esse magistrum Ivonem, canonicum Regularem abbatie S. Victoris apud Parisios, deinde cardinalem ab Innocentio II creatum, ad quem Bernardi epistola 193. In his altercationibus pontifex jubet prædictum librum afferri ad futurum concilium, quod eodem anno in civitate Remorum celebrare proponebat: tametsi dilatatum est in medianam Quadragesimam anni insequentis, sed intra unum annum a conventu Parisiensi, quem in festo Paschali præcedente habitum diximus.

435. « Interim missam ab auctore expositionem in Boetium Godescalcus, tunc in monte sancti Eligii prope Atrebatos abbas, postmodum ejusdem urbis episcopus, Eugenii mandato examinat, et ex ea capitula suspecta elicit, atque ex libris sanctorum Patrum auctoritates ipsis contrarias notat. Plura in Gilberti vitam et doctrinam attulisset Albericus Ostiensis episcopus et Aquitaniae legatus, nisi eum paulo ante mors præmatura e medio sustulisset. Demum in concilio Remensi « *ventum ad discussionem capitulorum, quæ prædictus abbas Godescalcus notaverat. Sed quia ipse nimis erat elinguis, liber ille cum sanctorum testimoniis ei contrariis a domino papa traditus est sancto Bernardo.* Concilium constabat ex quatuor regnorum episcopis, Galliae, Germaniae, Angliæ et Hispaniæ. In his aderant viri magni, nec mediocriter litterati, Gaufridus de Oratorio Burdigalensis archiepiscopus, cujus suffraganeus erat Gilbertus; Milo Morinorum episcopus, Joslenus Suessionensis, et Sugerius abbas S. Dionysii: cui Francorum rex Ludovicus Jerosolymam proficiscens totius regni commiserat administrationem, et quidem addit Otto, juxta illius cænobii prærogativam. Gaufridus de Oratorio, etsi Gilberti doctrinam non probabat, sed homini favebat.

436. « Prima die consistorium ingressis, Gilbertus magnorum voluminum corpora per clericos suos afferri curavit, causatus, decurtata tantum testimonia ab adversariis proferri. Et « *Quid necesse est, ait Bernardus, circa hujusmodi verba diutius immorari? Non aliunde procedit scandali hujus origo, nisi quod plures credere vos credunt et docere, quod divina essentia vel natura, divinitas ejus, sapientia bonitas, magnitudo, non est Deus, sed forma, qua est Deus. Hoc si creditis, palam dicite aut negate.* Ille ausus est dicere, formam hanc Deum non esse. Tum Bernardus « *Ecce, ait tenemus, quod quærebamus: scribatur ista confessio.* » Ita præcepit summus pontifex, et dominus Henricus Pisanus, tunc Romanæ Ecclesie subdiaconus, futurus postea Clarævallensis monachus, et ex abbate Sancti Anastasii sanctorum Nerei et Achillei presbyter cardinalis, ad ejus mandatum perrexit, et attulit chartam, calamum et incaustum (i. e. atramentum). Cum autem scriberet istam confessionem. Et vos, inquit ad Bernardum Gilbertus, scribite quod divinitas est Deus Ad hoc Bernardus, Scribatur, inquit stylo ferreo, in ungue adamantino. Cum multis ultro citroque disputatum esset, dixerunt cardinales se deinceps rem definituros. Commoti hoc dicto episcopi, quod cardinales sibi solis causæ definitionem reservarent, Bernardum interpellant, ut Gilberti capitulis alia contraria cum symbolo fidei conderentur, ne (quod Gilberti plurimi ex cardinalibus fautores volebant) re infecta concilium solveretur.

437. « Itaque Bernardus id præstitit: tumque episcopi confessionem ab se subscriptam per Hugonem Autissiodorensis, Milonem Morinensem episcopos, ac Sugerium abbatem pontifici obtulerunt confir-

mandam. Id quod facile obtinuerunt. Vocatus demum in conventum Gilbertus in insigni palatio, cui nonem est Tau (sic Remensis archiepiscopi ædes appellabantur, ob formam Græci elementi) capitulis singulis a se prolatis libere renuntiavit; eademque pontifex damnavit cum libro auctoris, districtè præcipiens, ne eundem librum legere, vel transcribere quis auderet, nisi prius eum Romana Ecclesia correxisset. Dicente Gilberto, se ad nutum pontificis correcturum, pontifex negavit. Hæc carptim ex Gaufrido.

438. « Quædam singularia habet Otto cap. 56, quædam item a Gaufrido discrepantia. Et primo quidem tradit Gilberti examen finita synodo, et promulgatis decretis initum fuisse: tum decursa medianæ Quadragesimæ hebdomada, sacroque Dominicæ passionis tempore inchoante, Gilbertum in medium vocatum ad judicium. Deinde lectis ab eo orthodoxorum Patrum libris in sui defensionem, Eugenium tædio affectum intulisse, quod Gaufridus Bernardo tribuit, simpliciter diceret Gilbertus, *anne illam summam essentiam crederet esse Deum?* Hunc vero diutina collatione fatigatum, inconsiderate respondisse, Non. Quod dictum mox ab ejus ore raptum notarius exceperit. Sub hæc conventu dimisso, totum, quod superfuit, illius diei spatium, cum nocte sequente, amicis suis cardinalibus, quos habuit non paucos, prensandis Gilbertum adhibuisse. Die subsequente recitatum ipsius scriptum, ejusque rationem ab episcopo exactam: eum vero ita demum sententiam suam exposuisse, ut, si Dei nomen pro natura ipsa sumatur, Deum quidem esse concederet; secus si pro persona, ne, si id indeterminate profiteretur, eo adduceretur, ut quidquid de qualibet persona dicitur, et de essentia pariter esset asserendum; atque adeo sicut personam Filii, ita divinam essentiam indeterminate incarnatam, passamque confiteri cogere-

439. « Hanc porro distinctionem ab eo assertam testimoniis Patrum, Theodreti, et Hilarii, atque auctoritate concilii Toletani quam auctoritatem cum determinare vellet Clarævallensis abbas, et aliqua verba protulisset, quæ cardinalibus displicerent Gilbertum petiisse, ut id scriberetur: Bernardum vero, quod Gaufridus notat, respondisse, scribatur stylo ferreo, ungue adamantino. Demum abbatem sanctum episcopos convenisse, simulque cum eis fidem suam contra Gilberti capitula exposuisse. Quod Gallicanæ Ecclesie factum tam graviter sacer cardinalium senatus acceperit, ut hac de re ad pontificem conquesti sint, tum contra episcopos, tum contra Bernardum ipsum, quod tanquam finiture sententiæ ultimam manum apponendo, ipsis inconsultis, fidem suam scribere ausi fuissent; quæ res ad Romanam sedem pertineret. Tandem Bernardum jussu pontificis, ut cardinales placaret, accersitum, humiliter et cum reverentia respondisse se, vel dominos episcopos nihil de præfatis capitulis diffinisse: sed quia ab eodem episcopo Pictavino audierat, ut

fides sua scriberetur, idcirco quia solus nollet, illorum auctoritate ac testimonio simpliciter se, quod sentiret, exposuisse.

440. « Quo humili ac modesto responso accepto, prædicta cardinalium indignatio conquieverit ita tamen, ut præfatum scriptum, tanquam inconsulta curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro symbolo in Ecclesia non haberetur. (Atque ita de tribus capitulis propter præmissam tumultuationem nihil diffiniri potuerit. Quod mirum non esse, ait Otto; qui et addit, Gilbertum in quanto ab aliis discordasse episcopis cum illi profiterentur naturam incarnatam, sed in Filio (Gilbertus vero) personam Filii incarnatam non sine sua natura. De primo tantum Romanus pontifex diffinivit, ne aliqua ratio in theologia inter naturam et personam divideret, neve Deus divina essentia diceretur ex sensu ablativi tantum, sed etiam nominativi. Quam summi pontificis sententiam Gilbertus reverenter exceperit, atque archidiaconis suis in gratiam receptis cum ordinis integritate, et honoris plenitudine ad propriam diocesim remeaverit.

441. « In his omnibus apparet Ottonem Gilberto admodum fuisse, nec proinde mirandum, quod in consequentibus addubitet *Utrum prædictus abbas Clarævallensis in hoc negotio ex humana infirmitatis fragilitate, tanquam homo, deceptus fuerit: vel episcopus tanquam vir litteratissimus propositum astute celando, Ecclesie judicium evaserit.* Verum Otto mortis proximus, teste Radevico lib. II, cap. 11, librum suum, in quo hæc scripserat, sibi afferri præcepit, et religiosis viris tradidit ut si quid pro sententia magistri Gilleberti dixisse visus esset, quod quempiam posset offendere, ad ipsorum arbitrium corrigeretur. De tota hac disputatione merito Gaufridus lectores ad Bernardi sermones in Cantica remittit, nempe ad sermonem 80, in quo vir sanctus eos, qui Gilberti sententiam propugnare pergebant, hæreticos pronuntiare non dubitat: tametsi auctoris nomini ob resipiscentiam parcit. Atque hæc quidem sunt, quæ de causa Gilberti Porretani, cujus sanctus doctor antagonista subiectus fuit, erudite collegit Mabillonius, satis in ea ad rem nostram historice versatus, ut necesse nobis non videatur recurrere ad Baronium ac Manricum. Dictis tamen hactenus superaddi potest narratio Gaufridi biographi lib. III Vitæ nostri sancti, cap. 2, in cujus loci gratiam superiora huc sunt transcripta. De his denique, quæ ex Ottone identidem proferebat supra Mabillonius, videri potest Otto ipse in Friderico, lib. I, cap. 46, 47, 50, 51, 52, 55 et seq.

§ XLIII. Henriciani hæretici a Patre Bernardo coerciti; miracula ad destruendos ipsorum errores ab eo facta apud Tolosanos.

442. Progredienti mihi in capite secundo Ganfridi proxime jam citati offert se num. 168 et seq. apud nos locus alter elucidandus de hæresi Henriciana in partibus Tolosanis repressa, et patris ibidem, miraculis in confirmationem fidei orthodoxæ, quam